



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV


I. Martii. S. Svitbertvs.


urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

S SVITBERTVS Werdensis Episcopus, Teisterbandiæ, Westphaliæ, Batauiæ, Frisiæ, Boructuariorum, Saxonum, aliorumque Germaniæ populorum Apostolus, primùm Monachus, deinde Abbas in Angliâ, inde in Germaniam inferiorem missus est; anno DCXC. cum S. Willibrordo & aliis decem sociis, à S. Egberto, propagandi Euangelii causâ; vt Bedain Hist. Angl. narrat. Venia à Pipino Heristallo, Maiore domus regiæ, impetratâ, longè lateque verbum Dei sparsit, & plurimas variis locis basilicas excitauit. Vtque maiorem messem faceret, in Angliam reuersus, anno DCXCV. à S. Wilfrido, Merciorum Antistite, consecratus est Episcopus.

Anno DCCVIII. Coloniam Agrippinam ad Plestrudem Pipini coniugem, indeque Iupiliam, Mosæ ad sitam, ad ipsum Pipinum se contulit, à quo VVerdam impetrauit, eoque in loco monasterium ædificauit, in diæcesi Coloniensi haud procul à Rheno flumine. Anno DCCXIV. ad Pipinum Iupiliæ ægrotantem (qui Alpaidem pellicem iam antea dimiserat) venit, cum Agilolpho Coloniensi Archiepiscopo. Anno demùm DCCXVII. laboribus fractus, VVerdæ Casaris Cal. Martij sanctissimè moritur, (cum in vita plurimis & admirandis miraculis claruisset) & in suo ibidem monasterio sepelitur, atque etiamnum colitur.

Relatus est in numerum Sanctorum anno DCCCIII. à Leone III. Pont. Max. *Ex actis ap. Sur. & alijs.*





S. SVIBERTVS EPISCOP' ORD. S. BENED.
 Hic Werda Antistes, apud Frisones, Batavos, & alios
 Germania populos Evangelium predicavit, quos cum
 Conuertisset ad Chrm. claris miraculis gemit in pace. Cal:
 Martij. Anno: DCCXVII.

E 3

III. MAR.

Handwritten notes on the book's spine:
 Inuention
 d. v. oct. 1600
 d. Bened.
 III
 5